1547

SERMO

EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

JOANNIS BAPT. LADISLAI PYRKER

DE FELSŐ-EÖR

PATRIARCHAE ARCHI-EPISCOPI

AGRIENSIS

SAC. CAES. ET REG. AP. MAJESTATIS A CONSILIIS INTIMIS, INCLYT. COMITATUUM HEVES ET SZOLNOK EXTER. ART. UNITOR. PERPETUI AC SUPREMI COMITIS, INS. ORD. AUSTR. CORONAE FERREAE I. CLASSIS EQUITIS ETC. ETC.

IN SOLEMNIIS CANONICAE SUAE INTRODUCTIONIS AD CLERUM POPULUMQUE DIOECESIS AGRIENSIS

DIE XVII. SEPTEMBRIS MDCCCXXVII.

HABITUS.

AGRIAE.

TYPIS LYCEI ARCHI-EPISCOPALIS MDCCCXXVII.

Univ. Bibl.
München

Venerabiles Fratres, Filiique in Christo dilectissimi!

Alterum lustrum jam jam evolvitur, quod clementia Augusti Caesaris et Regis Apostolici, annuente Summo Pontifice, Sedem Episcopalem Scepusiensem capessere jusso, beata sors mihi obtigerit, post longas moras apud exteros exactas, in sinum patriae redire potuisse, a qua ut rursus divellerer, fore non putaveram. Praeeram Clero praestanti, Populo bono ac docili, huic et illi adstrictus vinculo suavissimae dilectionis et fiduciae; at mox instabat nova ab utrisque, et ab ipso solo natali secessio, sic imperante benignissimo Supremo Terrae Principe, ut insignem Sedem Patriarchalem Venetiarum adirem, et pro Ecclesia Scepusiensi, aliam portionem gregis Christi regendam susciperem, longo terrarum tractu ab oris patriis sejunctam. Est illa in Urbe per universum mundum celebrata, non minus situ ipso mirabili, utpote undis pelagi superstructa, quam exquisitissimo ornatu Templorum, profusa magnificentia palatiorum et infinitis bonarum artium operibus illustri, plurimis denique veteris illius potentiae monimentis insigni, qua nobilissima haec Adriae Regina quondam imperium classis suae, ab ortu solis usque ad occasum longe lateque protendebat.

Mittebar ad gentem maritimam, indole, cultu, moribus, lingua a nobis multum diversam, amantem patriae, suorumque studiosissimam. Ast non terruit me horum quidquam: non metus majoris quam cui respondere possem apud populum illum exspectationis; non infestis auspitiis susceptum iter, primis mox diebus casu funesto, et hinc consecuto morbo adeo gravi interruptum, ut extremum vitae attigisse putarer: quippe unum et solum studium in pectore fervebat faciendae superioris voluntatis, ut quidquid eveniret, tutum me putarem, dum ei, ceu normae agendorum inviolabili, ut par est morem gerere studuissem. Atque haec virtus sacrae obedientiae, incredibile, quantam in me fiduciam excitaverit, auxerit vires, animo robur addiderit!

Ex adverso non me latebat munus Apostolicum Episcopi, arctis Patriae limitibus non circumscribi, verum ita comparatum esse, ut

quem gregem fidelium Episcopi regendum assumpsissent, arctius eidem unirentur, quam nexu sanguinis et quibuscunque vinculis vitae socialis. — Insuper obversabatur oculis mentis meae imago S. Gerardi Episcopi, qui ortus e nobili familia Veneta hodiedum superstite, sacro ardore propagandae fidei in Jesum Christum accensus, in Hungariam, tunc adhuc Ethnicis superstitionibus deditam concessit, eam ad agnitionem veri Dei perduxit, demum post exantlatos maximos pro Jesu Nomine labores, meritis plenus, palma Martyrii inclaruit, dignus quem Hungaria ceu primum Apostolum suum colat, venereturque. Sancti viri hujus imagine mirum in modum recreatus sum. Neque enim pulchrum tantum, sed etiam exoptabile mihi videri debebat, accepisse legationem sanctam Episcopi munere in illius patria, vice quadam gratitudinis, defungi, qui Majoribus Nostris lumen cultus veri Dei primus adtulisset, eosque ex densa tenebrarum caligine, ad viam salutis eduxisset. Neque dubito, quin intercessioni magni hujus Episcopi apud Deum, multum in acceptis referre debeam, quod gratum fieret meum apud praeclaros Venetos ministerium, largaque ac jucundissima praemia laborum reciperem, tum a Clero quaerendae salutis animarum zelosissimo, tum a populo, pietatis ac Religionis plenissimo; quippe: amorem utrorumque, reverentiam, fiduciam, et quod futurum spero, bonam mei apud illos memoriam.

Quam profunda sunt consilia Dei! quam investigabiles viae Domini! Dimisso Episcopatu Scepusiensi prompte secutus vocem vocantis me, qui potuerim ego credere, venturum tempus, ut patriae, cujus quidem sincerus amor ac desiderium nunquam destitit mihi fidus comes esse, rursum restituerer? Nam si humana spectem, ad sublimiorem Hyerarchiae gradum, praeter mea merita evectus, nil erat quo, si voluissem, ultra contenderem; si ad altiora mentem elevem, fruebar consolationibus spiritualibus de grege fideli, pio, religioso, virtutum Christianarum summe studioso amplissimis, quae solae onera officii Episcopalis non modo redderent leviora, sed jucundiora etiam et exoptabilia; quo sensu divus Gentium Apostolus ait bonum opus desiderari cum Episcopatu. Si porro primaevum attendam Sacrum Institutum, cui in Coenobio Campililiorum a diebus juventutis meae vitam, nomenque addixi; si animum ipsum, ab ambitu dignitatum quam alie-

nissimum, alioquin insufficientiae meae optime conscius, non cogitabam, ut declinante aetate, gravior annis, viribus corporis fractus, insignem hanc Sedem Archi-Episcopalem, cui insuper eminentior dignitas Procerum conjuncta est, adirem, qui florentiore aetate prius Episcopale, dein Patriarchale solium non nisi tremens conscendissem, nunc vero propria experientia doctus, quantae curae, quantae vigiliae Episcopo pro amato grege subeundae sint! magis in votis haberem, sacrum repetere recessum, ubi segregatus a frequentia et consuetudine hominum, in pace meditarer dies antiquos et annos aeternos! Sed visum est clementiae Caesareo-Regiae novum cursum laborum mihi praestituere, ut quod residuarum in me virium est, ad promovenda commoda Reipublicae sacrae et profanae, in gremio charae Patriae conferrem; qua in re utinam tantum praestare possem, quantum mihi studii et optimae voluntatis inesse sentio, ad satisfaciendum tum Augusti Principis, tum communi Patriae de me exspectationi! Atque hanc, a summa clementia Regis Apostolici profectam mei in Antistitem Ecclesiae hujus Metropolitanae Agriensis renunciationem, Sanctissimo Papae Leoni XII. ratam probatamque, Vobis dilectissimi! multisque Regnicolis gratam fuisse, quanto cum solatio e luculentissimis multorum testimoniis ad me perlatis intellexi, tam certe scio et pie confiteor, id divinae bonitati, cuius infinitus est thesaurus, me debere in acceptis.

Venio igitur ad Vos Fratres et Filii dilectissimi! ea cum fiducia, quam in me adhuc absente Patre vestri amantissimo excitastis, et quam nobis intercedere necesse est, muneris ratione id exposcente, quod apud Vos gerendum suscipio. Venio ad Vos, non corde elato sed humili: nam tenuitatis virium mearum optime conscius, sufficientiam nisi a Deo datore bonorum venerit, in me non invenio; non exultans, sed sacro quodam timore perculsus, quod tametsi crebro mentem subeat cogitatio: Dominum infirma eligere ut confundat fortia, tamen video tanto ferendo oneri, praesertim ubi de gravissimis officiis utriusque Reipublicae sermo est, me imparem esse, nisi Vos pro mea in Vobis locata fiducia, junctis viribus vestris mihi adesse, et quod subjectio, obedientia et mutua charitas exigit, ex sincero amore Dei et Patriae alacriter opem ferre volueritis

Hac firma spe fretus, primum ad Vos Metropolitanae Ecclesiae huius Canonicos, oculos convertere jubeor, quos dum intueor, sentio animo depelli anxietatem meam, et pro metu periculi, redire fiduciae suave solatium. Innotuit enim mihi, undequaque conspicua Vestra doctrina, morum integritas, pietas exemplaris, et optima in me voluntas; neque me latet, quanta cum prudentia primum, secundumve, qui inde a fatis dignissimi hac in Sede Archi-Episcopali Praedecessoris mei regimen viduatae Ecclesiae susciperent, elegeritis, hisque duobus de Vobis non minus, quam tota Dioecesi meritissimis e vita sublatis, virtutibus atque doctrina non minus conspicuum de Venerabili Collegio Vestro, tertium creaveritis Vicarium, cui ut totius Dioeceseos nomine hac solemni occasione publicas gratias agerem, jubet officium, vehementius movet gratitudo. Vos sacer Senatus! collatis in unum studiis, quod ad promovendam Ecclesiae huius, quamdiu luctu viduitatis tenebatur, prosperitatem pertinebat, alacriter praestitistis, Vos et mihi ad rite implendas partes officii mei consilio et opera adfuturos qui dubitem? dum sciamus tractari de salute gregis Dominici, curae meae ita crediti, ut in eo rite regendo Vos habeam totidem socios et administros. Neque est cur ambigam Vos, quanto magis honore et dignitate caeteris praestatis, tanto majori curae habere, ut facti forma Cleri, universis exemplo sitis, in virtute, scientia, fide et charitate. Fulgete itaque sicut candelabra super altare Domini, ad augendam reverentiam cultus Dei altissimi, et ad aedificationem Sanctorum: si enim luxerit lux vestra coram hominibus, ipsi quoque glorificabunt Patrem vestrum qui in coelis est.

In parem spem capiendi a Vobis adjutorii erigor, Fratres Filiique charissimi, quotquot estis Parochiarum Rectores et Cooperatores! Scitote neminem beatiorem esse animarum pastore, qui fructus faciat vocationis suae, qui pius, mansuetus, beneficus, eo fideliter et incessanter contendat, ut creditas curae suae oves, praetioso sanguine Jesu Christi redemptas, verbo et opere sanctificet, atque in viam salutis dirigat. Hunc enim in arctissimo cum illis nexu, plus quam filialis amor prosequitur, erigit fiducia, solatur veneratio, sublimior quaedam fruitio pacis, quam mundus dare non potest, comitatur; quo fit, ut divino fretum adjutorio, non eum multiplex labor et sollicitudo, non diur-

nae nocturnaeque vigiliae, non parca mensa, imo ne suorum quidem ingratitudo in sancto proposito moretur, suorum saluti semet totum impendendi. Tales ego in vinea Domini Operarios Vos arbitror esse, Fratres Filiique dilectissimi! atque ita animo comparatis auctor sum: ut similes illis, qui in stadio currendo accipiunt bravium, cursum intendatis, dum Coronam immarcescibilem recipiatis in regno gloriae, „sic currite ut comprehendatis." *(I. Cor. IX. 24.)*

Ipsum vero munus animarum Curatoris, duabus potissimum partibus absolvi, e verbis divini nostri Magistri eruitur, qui, quos sanctissimae Religionis suae Ministros constituit, lucem mundi et sal terrae esse voluit monens, nec candelabrum sub modio abscondi, nec sal incuria infatuatum reddi debere. Lucis nomen referre digni eritis, si primum ipsimet salvificam Fidem JesuChristi rite edocti, populum manuductioni vestrae commissum, in eadem incessanter instituere, eumque pastorali vigilantia simul, et auctoritate a vitiis abstrahere, et ad tramitem virtutis dirigere studueritis.

Hic jam juventutis institutio, scholae diligens cura et inspectio, praedicationis obligatio, potestatis clavium pro Sacro Tribunali Poenitentiae prudens et discreta dispensatio, caeterorumque Sacramentorum pia et fidelis administratio oculis Vestris obversabitur, et undequaque arguemini doctrina et institutione opus esse. Jesus Christus misit Nos docere Gentes per universum orbem. Docete ergo eam, quae Vobis est gens sancta et electa, imbuentes eam praeceptis doctrinae Jesu Christi, quae sola est via ad vitam aeternam, quam qui non sequitur, errat in umbra mortis.

Docebitis autem non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis *(I. Cor. II. 4.)* in verbo sano et irreprehensibili *(Tit. II. 8)* Haurite ex eo fonte salutis limpidissimo, cuius aquam, scilicet veritatem ab aeterno manantem, Divinus Magister mulieri Samaritanae propinaverat, virtutis foecundissimam ad animas fidelium in omne aevum refrigerandas. Absit a Vobis quam longissime, in proponendo verbo Dei studium vanae gloriae, sive laudis humanae captatio, jactantia, quaecunque animi levitas, et eorum, quae requirebantur incuria; absit finis et mediorum, ad excitandam in animis auditorum pietatem confusio, qua fit, ut multi Christianorum

interna Domus Dei ignorantes, in exterioribus atriis versentur, usu paucorum adminiculorum, officiis Religionis se satisfecisse perperam arbitrati. Sed absit etiam funesta eorum, indignorum Sacerdotio temeritas, qui dum e sacro suggestu ad concionem verba faciunt, sublimiora positivae Religionis dogmata sileri posse, seque officio suo functos esse putant, si populum solis Ethicae regulis, vel quibusdam Philosophiae praeceptis imbuerint, sumpto ab iis, qui foris sunt, exemplo, qui, quoniam humanae mentis placita pro veritatibus divinis proferrent, viri illuminati evasisse creduntur.

Sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae filii cum sitis, eam doctrinam docete, quam ab ipso aevo Apostolorum, tum scriptis eorum consignatam, tum traditione conservatam semper docuit, docetque Sancta Mater Ecclesia, quaeve partim Sacrorum Conciliorum, errore immunium, vigili cura, partim Sanctorum Patrum et Doctorum lectissimo studio, usque ad nostra tempora citra ullam innovationis noxam propagata est. Haec est illa vere salvifica Religio, de qua Nobis juxta aliam normam, quam statuat Ecclesia, sentire insegrum haud esse, fide tenemus quam firmissima. Obstrepant licet, superbia spiritus circumventi, Nos qui sic sentiamus, juribus liberi hominis frustrari; si enim studio veritatis regerentur, dicerent: Nos potius vera perfrui libertate, cum circa ea, quae auctor Fidei nostrae credenda proposuit, nec auctoritati propriae rationis, quam identidem hallucinari novimus, nec auctoritati eorum, qui inflati sapientia mundi se constituerunt magistros prurientes auribus, et omne id rejiciunt, quod arctos intellectus humani limites egreditur, sed auctoritati Ecclesiae innitimur, quam Jesus Christus fidei morumque magistram instituit, et quae, ceu corpus juncta capiti suo Summo Pontifici, Petri Principis Apostolorum successori, nihil novi condit, sed creditum sibi fidei depositum, inde a temporibus Apostolorum sancte fideliterque conservat, invisibili praemunita Spiritus Sancti adjutorio, quo minus falli, fallereque possit. Haec est illa ex Centro Unitatis lumen suum in universum orbem diradians Ecclesia, fundata super firmam petram, ubique locorum eadem, et immutabilis, contra quam nec portae inferi praevalebunt unquam.

Itaque Fratres Filiique in Christo dilectissimi! vigilate, state in

fide, viriliter agite confortami; (*I. Cor.* 16. 13.) in carne enim ambulantes — dicente gentium Apostolo (*II. Cor. X.*) non secundum carnem militamus, nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia a Deo, ad destructionem munitionum; consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Ast — „Suscipite infirmos; patientes estote ad omnes" — (1. *Thess.* 5.) Omnia vestra in charitate fiant (*I. Cor. XVI.*) ut illi iidem qui foris sunt, Vos existiment ut Ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hoc nomine tum demum digni eritis, si doctrinam sanctam quam verbo praedicatis, vita quoque et moribus comprobare studueritis, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur Ministerium vestrum, et in omnibus vos exhibueritis veros virtutis magistros in castitate, in longanimitate et suavitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis et in virtute Dei. (*II. Cor. VI.* 2.)

Ne autem unquam desint operarii in vinea Domini, qui Vobis, seu ex mortali hac vita ad aeterna tabernacula translatis, digni successores, seu aetate, laboribusque fractis constitui possint cooperatores, in promtu est Seminarium probae Juventutis in sortem Domini segregatae, de qua ut optima quaeque expectem, vadimonio mihi sunt venerabiles viri, quorum manibus illius cura concredita est, Rector, Professores, caeterique Superiores, quam conspicui doctrina, tam insignes moribus et pietate. Vos itaque tenera Ecclesiae soboles, ministerio sacro devoti Juvenes, Filii dilectissimi! quos singulari cura et dilectione complector, sub moderamine talium virorum nihil eorum negligite, quibus gerendo, cui destinamini officio, reddi possitis quam maxime idonei; neque id Vobis evenire patiamini, quod a provectioribus viris saepe narrari intellexeritis, illos, qui male transacta juventute, multa condiscere neglexissent, neglectum hunc vix, aut plane non potuisse postmodum sarcire. Praeterea cum maturitate judicii disquirenda Vobis est oneris, cum Sacerdotio Vobis imponendi gravitas, probeque expendendum: quale, quantumque sit, studio proprii commodi expeditum, non sibi vivere, sed ovibus pretioso Christi sanguine redemtis; dies noctesque pro earum salute vigilem insumere; nunc publicae nunc privatae institutioni earundum incumbere; nunc conscientias fidelium in sacro

Tribunali Poenitentiae, vicaria Christi potestate moderari; nunc infirmorum lecto doloris, nunc moribundis assistere; cum omnibus officium benevoli aeque ac severi patris, fidi a consiliis amici, peritique medici, ita explere, ut a Domino messis, dum rationes villicationis a Vobis repetierit parata ser vis fidelibus praemia referre mereamini. Quodsi ad haec praestanda Vobis animus non deest, nec seria voluntas, ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis, quibus toto pectore eo conniti jubemini, ut praecincti loricam fidei, et induti arma justitiae per omnigenum apparatum scientiae legis Dei et timoris Domini, in strenuos milites Christi aptemini. Quemadmodum de arbore cum florem ediderit, recte arguimus aestatem non longe distare, ita scitote omnium oculos in Vos defixos esse, idque a Vobis jure merito expectari, ut venturo aestatis tempore, cum in messem Domini missi fueritis, copiosum fructum producatis.

Id ipsum de Vobis sentimus, qui in hac illustri literarum palaestra, optimis instituti Magistris, studiis bonarum artium operam navatis ingenui Adolescentes! memineritis: omni residuo vitae tempore, sive statum Ecclesiasticum ingressi, sive castra secuti fueritis, sive forensibus, civilibus, aut quibuscunque aliis negotiis tractandis Vos devoveritis, perjucundum Vobis futurum, memoriam recolere huius Instituti, dum larga scientiae, pietatis et bonorum morum, quibus in eodem exornati estis, praemia in Vos redundare experiemini.

Vos autem Viri Fratres, Dioecesis huius Religiosi, ut obtutu sermoneque meo excluderem, facere haud potui. Si conspectus illius Ordinis, qui Vos inter ratione Instituti primum locum tenet, Cisterciensium, singulari quadam teneritudine, nunc animum meum afficit, ignoscite quaeso! Hic enim ille idem Ordo est, cuius regulam annos 28 professus, in mutua fratrum dilectione, sorte fruebar beatissima. Non ideo de personarum acceptatione me argueritis: compertum enim habeo Vos omnes, alios quidem de publicis Scholarum Magisteriis, alios de cura animarum, alios de aegris inopia laborantibus, ex vitae instituto misericordiae devotos, egregie meritos esse. Digne quaeso et in posterum ambulate coram Domino, certam facientes vocationem vestram, qua vocati estis, ut in sanctitate morum ad majorem tenderetis perfectionem: per humilitatem, per obedientiam erga Superiores, quorum interest Vos regere in omni patientia et mansuetudine, per exactum officio-

rum implementum, per mutuam fraternam charitatem, quae patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet, sic Vos Deo acceptos, Religioni ac patriae utiles, hominibus charos redditurі.

Cum denique Vos intueor Dioecesis hujus charissimi Fideles, cuiusvis aetatis, sexus, conditionis! multa me erigunt sanctae consolationis argumenta, quod sperare jubeor, firmiter Vobis persuasum esse, tum demum verae felicitatis Vos futuros participes, si in doctrina Religionis Jesu Christi, in dies magis proficere studueritis, cuius innumera in Nos beneficia ut paucis complectar, utar sermone S. Augustini, qui de moribus Ecclesiae Catholicae loquendo, in haec exultantia verba prorumpit: — „Merito Ecclesia Catholica, MaterChristianorum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adoptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas, sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces et doces. — Tu foeminas viris suis ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis; parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem mutua charitate constringis. Tu Dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere. Tu Dominos servis, summi Dei, communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam coërcendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, omnes prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. — Doces Reges prospicere populis; mones populos se subjicere Regibus; quibus honor debeatur, quibus affectus; quibus reverentia, quibus timor; quibus consolatio, quibus admonitio; quibus cohortatio, quibus disciplina; quibus objurgatio, quibus supplicium? sedulo doces, ostendens: quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria." — O Vos beatos dilectissimi! si Ecclesia haec sanctissima tales semper in

Vobis effectus produxerit! quod ut eo certius consequamur, petitiones vestrae innotescant apud Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi pro majori semper eius Ecclesiae, per quam tanta felicitate donamur incremento, quatenus per mundum universum diffusa, omnem in se complectatur gentium multitudinem in unitate fidei, consolatione spei, et dulcedine charitatis, nulloque seu exterorum hostium incursu, seu interno schismate perturbetur. Fiant ferventissimae preces vestrae etiam pro longaeva conservatione Summi Pontificis Leonis Papae XII. qui immortali eam regit laude, et pro diuturna incolumitate Francisci I. Imperatoris et Regis nostri, Patris Patriae benignissimi, justi, pii, fidelis, in quo firmissimum nacta est defensorem; sed orate quoque pro Summis Regni Magistratibus, quatenus constituti pacis tutores et justitiae vindices, hoc suo sic fungantur officio, ut tutandae Religioni primas curas impendant.

Nunc autem Fratres Filiique dilectissimi! sinite me Vestra pro me suffragia verbis S. Gregorii M. efflagitare: „Per venturum judicem rogo, per multorum millium Angelorum frequentiam, per Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Caelis, me, sub hoc pastoralis curae onere labascentem orationis Vestrae intercessione adjuvate, ne suscepta me pondera, ultra vires praemant." — Memor vero quod scriptum est: „Orate invicem ut salvemini" *(Jac. V. 16.)* etiam impendo quod peto, sed recipiam quod impendo. Dum enim nos Vobis per orationis opem conjungimur, quasi ambulantes per lubricum, vicissim Nobis manus tenemus; fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo alter in alterum innititur." — *(Epist. 25.)*

Ita Fratres et Filii dilectissimi! sunt Nobis implenda mutuae charitatis officia. „Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, Dominum Nostrum Jesum Christum, aptet Vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem; faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum, cui est gloria in secula seculorum." Amen. *(Hebr. XIII.)*